

Guitbertus de Novigento, De sanctis et eorum pignoribus

lib. 1, lin. 1018

Certe vidi quosdam qui, cum diutissime aliquem ut ferebant sanctum ex Britannia delatum pro confessore habuissent, mutato derepente animo eundem pro martyre celebrarunt: causas cum rogaviassem, nichil dignius super martyrio hominis quam de pretermissa confessione dixerunt.

Legi, testor deum, et iis qui michi presto fuerant cum nimia detestatione relegi, scilicet in Vita Sansonis celeberrimi apud Francos et Britones sancti, abbatem quendam, quem sanctum Pironem lectio illa agnominat; cuius cum finem ut putabam beatum rite legendo prosequerer, repperi cumulum sanctitatis, hominem videlicet ebrietate madentem puteum incidisse sicque enectum.

Nec illud excidit quod Lanfrancus Cantuariae apud Anglos episcopus successori postea suo Anselmo, tunc abbatи Beccensi, questionem infert super quodam predecessorе suo, qui, in vincla coniectus, quia pecunis sese redimere renuit peremptus est.

Quid dicam de iis sanctis, quorum aut finis est in malo propatulus aut latet utrum bonus an malus aut inter utrunque fit scrupulus?